

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

Febribus Intemittentibus Medendo.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS BUCHANAN, A. M.

SCOTUS.

Phys. Societ. Sod. Hon. et Praef. Ann.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

†

c



Paginas sequentes,

Praefidio et dulci decori suo

R O B E R T O G R A H A M

D E G A R T M O R E,

Qualem esse decet, quem ardens purpura vestit,

Grato animo inscriptas esse

Auctori placitum est.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Febris Intermittentibus Medendo.

SI alma natura, ad omnem morbum debellandum, remedium hominibus tribuit, aequae ac cortex Peruvianus ad febres intermittentes efficax, multi, cito perituri, diu inter vivos enumerari poterunt. De medendis igitur hujusmodi febribus tractare, vix multis necessarium videbitur; et quae nunc sunt tradenda, nihil aliud his prae se ferre videntur, nisi inanem doctrinae ostentationem. Illi quidem, voce sublata, exclamant, accipite corticem febricitantes, accipite sanitatem. Non raro autem, imo et saepissime, eo devenire curae labores dolendum est, ut quivis, licet ingenio et doctrina praestantissimi,

†

A

mus,

mus, febris reluctans ingenium, et medicinae experitur inopiam.

2. Praeterea, quemadmodum nihil eorum, quae vel sano corpori innocentia sunt, vel certis morbis medentur, universim ita juvat, ut nullam noxam, pro ratione symptomatum, sub quibus ministratur, incaute adhibitum inferre possit; neque quicquam est, cujus virtutes nullo vitiorum confinio laedi queant: Ita idem de hoc febrium domitore sentiendum esse, ipsa eo magis dicitur sana ratio, quo manifestior in morbum efficacia est. Unum igitur remedium, pro febrium omnium unica solaque panacea habere non licet, caeteris artis praesidiis fusque deque habitis. Itaque medicum oportet, pro ratione symptomatum varia, atque praesenti febris natura, in unum vel alterum extremum tendentis, rationem medendi saepius, atque incunctanter, quoties opus fuerit, mutare.

3. Occurrit inter variarum gentium, et variorum seculorum medicos, de ipsis remediis experientia comprobatis, perpetuus et mirus dissensus. Et mirum in modum experientiam omnes sibi vindicant ut magistrum et ducem; nihilominus autem multi ei inmixti cortici ipsae diffidunt, vel, si quam ei concedant vim, arctis concludunt

cludunt limitibus ; eadem vero utentes minime de methodo consentiunt. Ita incertis opinionibus miserorum hominum traditur vita ! Ad haec determinanda, ingenium et experientia deficientia vetant me in hanc arenam descendere, ubi tot viri praeclari non sine laude semetipsos exercuerunt. Igitur fere semper Celsi venerabilis monitum sequens ; neque addictus alterutri opinioni, neque ab utraque nimium abhorrens, mediam quodammodo viam inter diversas sententias tenebo.

4. Pauperes saepius quam divites febres intermittentes perdunt, saepissimeque vastant castra militibus, et classes nauticis ; hos autem nimis saepe cortice parca et cara uti, ejusve commodis frui, vetant paupertas dira, et etiam corticis inopia. Si tunc medici alia remedia ignorant, pauci mortem effugient.

5. His adductus, remedia non solum corticem juvantia, sed etiam illa ignota quondam usurpata, enumeravi. Inter haec forte remedium minoris pretii latet, quod tamen, aequaeque cortex ipsa, in febres efficax sit. Nullum saltem remediorum roborantium praeter hanc experimento justo subjectum est. Licet enim haec, a tempore Hippocratis, interdum auxilio vocaverunt

vocaverunt medici, nunquam tamen, nisi omnibus incassum tentatis, ad ea confugiebant; sed semper vis venenatae arguebant. Cortex forsitan nomen sibi magnum casu fecit. Huic enim Sydenhamus, Mortonus, alique vim, materiam morbificam corrigendi, tribuerant; quo medici inducti, dum alia roborantia metuerent, eam audacter exhibuerunt. Fatendum tamen est, nullum tale adhuc ostendi.

6. Pensum meum peragens, remedia multa inutilia, imo nociva, enumeravi. Quanquam autem multa sint, ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant, excitando artificis ingenium. Paginae haud finunt remedia singula perpendendum; quae igitur efficaciora duxi, literis majoribus notavi. Quoac doctrinam, ubique CULLENUM passibus quidem haud aequis secutus sum; quia omnium theoriae ejus optima mihi videtur. Arrogantiam meam vix unquam extenuaturus sum: Licet enim saepe inter viros etiam illustrissimos decerneret ausus fuerim, quid opus est verbis? Illi enim opinionem meam nihil valere sciunt, atque igitur nihili aestimant.

7. Non solum febrifuga enumerare, sed etiam eorum operandi modum explicare, mihi propositum

fitum est; utrumque certe secutus sum. Talem igitur febrium pathologiam, qualem veram esse judico, statuam oportet. Et CULLENUM sequens, febres remittentes ab intermittentibus haud discrepare inter se, vel quoad causas, vel quoad curationem, omnino abritror.

8. Statuerant medici materiam quandam morbificam, in sanguine haerentem, causam esse proximam morbi. Mala quamplurima hanc opinionem sequebantur. Medici enim febrem depellere, antequam haec materia concoctionem passa fuerat, verebantur. SWEITENI autem et CULLENI argumenta, me iudice, materiam talem nunquam existere, fatis superque demonstrant. Sed etiam si huic opinioni veritas concedatur, quid sequetur? Materia enim haec, si fluidis unquam inhaereat, non potest ullos effectus edere, nisi afficiendo corporis solida viva. Nonne ergo haec tali statu inducenda sunt, quali materiae actioni resistent? Si status solidorum aliquis materiae actioni primae resistat, nonne similis status (11.) applicationibus sequentibus resistet? Nonne corpus sanum et vegetum, facilius quam corpus a febre occupatum, et debilitatum, materiam eliminabit?

9. Arbitrantur ergo nonnulli, et vero jure, febres intermittentes optime curatum iri, si removeantur illi status solidorum, quos morbi symptomata in variis ejus stadiis ostendunt. Hoc pluribus repugnat. Illi enim arbitrantur, nullum remedium dari, quo ullâ febris solide, et ex ipso fundamento, curetur, nisi per illos motus qui spontaneae febrium indoli familiares sunt. Motus hos autem fere semper morbidos, molestos, et febrem longiorem gignentos, judicavimus (22.); eos igitur caveamus oportet.

10. Si aliquis diu febre laboravit, etiam si intermissiones plenas habuerit, et si porro viscera abdominalia haud illi sunt oppleta, nihilominus fere semper hydrope corripietur; qui hydrops, merito, a solidorum relaxatione universa oriri censetur. In febribus diuturnis ergo relaxatio semper debellanda est.

11. Corpus vegetum, et inedia, evacuationibus, labore, ebrietate, libidine, vigiliis, studiis protractis, vel morbo infractum; sed vino, pathematibus animi excitantibus, et exercitio roboratum, vix causis intermittentium excitantibus afficitur; scilicet, quia exinde fibrae cordis et vasorum musculares vigore debito agunt. Nonne igitur statu fibrarum earundem simili,

(12. 13.) paroxyfmi fequentes quoque averti poffunt ?

12. Si afpicias febris paroxyfnos centum, in horum nonaginta novem videbis ftadia aliqua, fympomatibus propriis notata, fe invicem, femper eodem ordine, excipientia. Ita faltem medici fere omnes dixerunt. Sed, veluti nulla eft ridicula opinio, quae authorem non habuerit philofophum, ita huic opinioni, qua nihil in medicina certior, homines aliqui, tenuis quidem iudicii, objecerunt ; quibus, fi aliquis vult, credere licet. Quamquam igitur haud poffum, per leges mechanicas, rationem reddere, qua unum ftadium alterius veftigia fequitur ; nihilominus, quoniam ita regulariter res fe habet, unum ab altero gigni haud dubito. Atque hic BOEHAAVII ratiocinationem fequimur.

13. Opinio fere femper medicorum potita eft, eofque, etiam in viforum enarratione, aberrare fecit ; tamen, fi fas fit aliquid medicorum fidei credere, mihi licet affirmare, paroxyfmi prima fympomata cordis et vaforum actionem imminutam oftendere. Et meam opinionem ut firmarem, morbi hiftorias a medicis diverfarum aetatum, locorum, et opinionum traditas, citabo ;

bo *; durante ergo intermissione, medicum niti contra hanc affectionem pro aegro nocte dieque decet; hac enim remota, nullus fit paroxysmus. (12.)

14. Cor autem et vasa haud diu in hoc statu perdurant; contra equidem cito vim amissam rursus recipiunt, imo etiam plerumque vi justo majore agunt. Si illorum actio multum et ad gradum abnormem intendatur, summo fructu iterum medicus eam compefcet. Si autem actio, licet molesta, se intra limites moderatos teneat, facile in statum pejorem remediis vertitur; quicquid enim vires minuit, statum, in quo actio cordis et vasorum diminuta est, iterum facile inducet; et ex imbecillitate summum est periculum.

15. Dum paroxysmus ita pergit, ab initio cutis arida, et omnes secretiones diminutae tenuesque manserunt. Medici tres causas, tales effectus edentes, animo conceperunt; crassities nempe fluidorum nimia, cordis actio ita debilis, ut sanguinem ad vasa extrema propellere nequeat,

* Celsus de re medica, l. 2. c. 2.; Sylvius de le Boe Prax. med. idea nova, l. 1. c. 30. §. 13.; Boerhaave aph. 749.; Stahlius de tert. febr. apud Halleri disp. med. pract. tom. 5. p. 5. Cullen's first lines, X.

queat, et capacitas vasorum extremorum diminuta. Primam causam in febribus nunquam obtigisse, crediderunt SWEITENUS, et CULLENUS; argumentaque eorum, meo iudicio, rem extra dubitationem posuerunt. In paroxysmi stadio primo causam secundam obtinere, jam diximus (13). Cum autem postea actio cordis multum augeatur (14.), huiusmodi causam concedere nequimus; ad tertiam causam igitur tribuenda sunt symptomata, durante stadio secundo.

16. Quodcumque fibrae musculares contrahendi vires amittunt, eodem tempore facilius a stimulo aliquo admoto afficiuntur, ut ex multis compertum est. Etiam si vero contractionem naturalem semper mox sequitur relaxatio, si autem ultra vires intenduntur fibrae musculares, raud nisi multo post iterum relaxantur, quod in Tetano facile videndum est. Cum igitur rafa extrema omnium debilissima vires suas amittunt, facile stimulo sanguinis applicato ad motum abnormem excitantur, quem motum relaxatio nulla statim sequitur; sed interea, dum stadium calidum manet, cutis arida, et secretiones tenues perdurant.

17. Medici saepe nesciunt, cui symptomata multa febrium tribuant; saepe enim in imaginatione solum haerent haec symptomata, et febres debilitati aequae ac diathesi phlogistica adjunctas comitantur. Meo quidem iudicio, plura horum a circuitu sanguinis per vasa extrema impedito exoriuntur. In his autem insistere minime fert animus. Argumentum enim nihil exigit, nisi ut, quatenus monstrant viam ad praxin veram, talia statuam. Quocirca pauca tantum explicare tentabo, eaque institutis haud aliena.

18. Quamvis muscoli vi insita fruuntur, tamen facultatem movendi, actione cerebri, deleta brevi amittunt. Et porro cerebrum functiones suas sanguinis circuitu impedito perficere nequit. Dum igitur in febre sanguis vasa cerebri minima haud intrat, neque ad functiones suas perficiendas stimulat, musculorum motus impeditur, quo febricitantes, seu motus cordis validus sit, sive debilis, semper experiuntur lassitudinem et languorem.

19. Sensatio quoque a cerebro pendet. Actione igitur cerebri diminuta, diminuuntur sensationes; et exinde febricitantes frigoris sensu saepe

saepe vexantur, cum eodem tempore calor corporis revera justo major est.

20. Jam monui, consilium medendi a sanguinis circuitu debellato oriri (13.); si igitur ulla indicatio a sanguinis circuitu per vasa extrema impedito oriatur, necesse est, ad vasa extrema coarctata dirigatur. Diximus, hanc ex nimia mobilitate a debilitate pendente oriri (16.). Removeatur igitur vel praecaveatur coarctatio haec roborando vasa extrema, vel renovando mobilitatem.

21. Medici quamplurimi sudorem singulos ferme paroxysmos sequentem, horum partem esse essentialem arbitrantur; an merito, multum dubito. Aeger enim, durante sudore, functionem omnem facile perficit. Sudor porro, in fanis, cordis semper actionem auctam sequitur. Sudor igitur nihil praeter sanitatis reditum denotare mihi videtur: Haud multum ergo attentionis sibi in curatione vindicat; neque ulla indicatio ad sudorem removendum datur.

22. Quanto diutius paroxysmi persistunt, eo citius sequentes excipiunt. Sic tertiana remittens saepius duplex est, et quotidianae paroxysmis omnium longissimis aegros vexant. Quidcunque ergo paroxysmos breviores reddit, intermissiones

termiffiones longiores producet ; et, fi paroxyfmos folvit, vel certius fi venienti occurrit, morbum penitus removebit. Sed paroxyfmi fudore erumpente finiuntur (21.); quidcunque ergo actioni cordis et vaforum diminutae occurrit, vel vaforum extremorum coarctationem folvit, vel praecavet, febrem penitus removebit (15. 20.).

23. His ad univerfa fpectantibus praemiffis, me ad remedia fpeciatim recensenda fummis viribus accingo. Duas vult CULLENUS effe claffes; in prima, quae paroxyfmos avertunt, et in fecunda, quae paroxyfmos folvunt, remedia comprehenduntur. Sed quoniam multa in februm natura horum ufui faepe obftant, vir illuftris praemiffis claffem tertiam adjecit ; quae remedia ad ftatus corporis illos, qui febri occurrere vetant, amplectitur. In recensendis illis remediis febrifugis dictis CULLENI methodo utar, quia affinitatis legibus magis quam ulla alia confona mihi videtur. Sed quandoquidem obfervationes fequentes ufum corticis legitimum illuftrare praecipue ftatuuntur, ordinem CULLENI inverti, corticifque confiderationem ad ultimum poftpofui ; quo facto, verborum iterationem faepe vitavi.

24. Diathesis systematis phlogistica, viscera abdominalia obstructa, et humores corrupti ventriculo intestinisve inhaerentes, status corporis illi censentur, qui praecipue febres quam primum remediis recensendis coerceri vetant.

25. Diathesis phlogistica est status fibrarum musculosarum, in quo ex stimulo admoto vi justo majore contrahuntur. Vasorum igitur extremorum, in stadio febris primo, coarctationem immanem gignit; unde paroxysmi diu perstant, saepius repetuntur, et in initio languore summo (18.) et frigore magno (19.) stipantur; incipiente autem stadio secundo, ingens fit aestus, delirium cum dolore capitis acuto urgent, rubor ore incandescit, tempora micant, et arteriae ictu duro validoque digitum feriunt.

26. Diathesis phlogistica saepissime in regionibus frigidis, durante vere, in tertianis et quotidianis, sub morbi initium, et in viris adultis, exercitatione et diaeta plena fruentibus, occurrit: Rarius autem sub Sole ardente, vel durante autumno, versus morbi finem, in quartanis, in infantibus, vel senibus, vel foeminis, vel desidiosis, vel demum in famelicis, videtur.

27. Multis

27. Multis vix animo percipiendum est, quo modo ullus, diathesi phlogistica laborans, repente vaforum debilitate corripiatur; vel si hujusmodi aliquid acciderit, quomodo iterum tam brevi diathesis phlogistica effectus suos edat. Res autem sic se habere, firma edocemur experientia; quocirca ipsa indicat, hujusmodi conditiones roborantium usum haud admittere. Sed nullum est remedium aequae efficax contra intermittentes atque roborans. Porro diathesin phlogisticam paroxysmos longos, acerbos (25.), et saepe repetitos (22.) gignentem removendo, non solum febrem lenire, sed etiam ex toto fugare possumus. Idcirco summa ope contra diathesin phlogisticam niti, medicos oportet. Caveant autem cane pejus et angue, ne corporis conditionem praedictae contrariam inducant; quo enim debilior, eo in angusto magis aegri spes est.

28. Febres aliquando prae se speciem ferunt, de qua a vero aberrare medicus facile potest. Febris enim carotica corticem utendam exemplo exigit; speciem tamen apoplexiae induit. Apoplexia haec stadium algidum comitatur, et nonnunquam ad syncopen accedit, ut in febribus syncopalibus, lypyriis, et affodis dictis. Il-

lam igitur non in cerebri compressionem, sed in excitationis defectum, ob sanguinis in cerebro inopiam (18. 19.) confero.

29. Regimen antiphlogisticam, sedantia, SANGUINIS MISSIO, et cathartica, contra diathesin phlogisticam plurimum valent.

30. Vix dubitandum est, quin febres remissiones nullius momenti habentes, regimen antiphlogisticum postulent; id enim beneficium in pyrexia omnigena confert. Sed in intermittentibus, etiam durante paroxysmo, actione vaporum vehementi comitatis, usus hujus regiminis circumspeditionem magnam desiderat. Antiqui primis diebus convellendas aegri vires inedia putaverunt; et nonnulli recentiorum, in Italia praesertim, eorum vestigia secuti sunt. Hi quidem ne cibum gustari primis septimis februm pessimarum diebus sinerent, et aquam puram ad libitum potari solum concedebant. Abstinenciam aliquando aegris conducere, haud dubito. Ita enim solummodo febres curari, dixerunt viri celeberrimi*. Sed abstinendi a cibo primis diebus, in febribus tantum diathesi phlo-

* Heister. Compend. Med. Pract. c. 2. § 16. p. 28.

Linnaeus Amoen. Acad. t. 1. p. 15.

phlogistica comitatis, sunt aegri; idque tamen non adeo agendum, ut aegri vires convellantur, existimo. Imo etiam prima intermissio plena cibum dari, plerumque postulat; momente enim BOERHAAVIO, tenuis et exacta diaeta nocet per se semper.

31. Sedantia, alias refrigerantia dicta, sunt remedia, quae sine evacuatione de vi contractionis fibris muscularibus demunt. Sedantium duo genera ad febres intermittentes arcendas adhibita sunt; frigus nempe, et sales neutri. Itali, ut supra dictum est (30.), aqua frigida sola febres curabant; eamque, secundum diaetae aquae regulas, usque ad libras xxiv. per spatium totidem horarum, et ad famam commode dabant! Quum autem auctores, quos saltem mihi vidisse contigit, de hoc nihil statuerunt, ei operam dare nolo. Multi opinantur sales neutros sedare. Sed, quoniam consiliis medendi diversis inserviunt (120. 133.), de iis in hoc loco tacebo.

32. Si vires convellendae sunt, praesentissimum remedium, quo hac fine potire licet, est VENAECTIO. Et hujus quidem tanta certe est efficacia, ut si effectum celerem et egregium quem praestat spectemus, revera omnia interna
remedia

remedia in morbis, ubi indicatur, sanandis, longissime exsuperat. Neque ullum remedii genus est, quod et operationis celeritate, et tolerantiae facilitate, ita se commendet; et quod a primis fere medicinae incunabulis, tam frequenter et laudate fuerit adhibitum, quam sanguinis missio. Res ipsa igitur exigit, ut aliquid temporis illius considerationi impertiam. Licet autem pro virili parte accinctus, propositum haud sine diffidentia curaque aggredior. De usu enim venae sectionis in intermittentibus, summa dissentio est inter magnos homines.

33. Veteres medici humores in receptaculis; nescio quibus, stagnantes fomitem morbi fuisse somniarunt; indeque toto coelo errantes, utramque curationis paginam longo apparatu medicaminum evacuantium impleverunt; idque methodice factum dixerunt, licet absque aliqua certa indicatione a natura rei ipsius desumpta; sed in propriis musaeis excogitata. Exinde tamen venae sectionem, evacuando humores morbosos, esse remedium contra intermittentes praestantissimum arbitrati sunt. Nec unquam, sanguinis detractioe omissa, curam susceperunt. CLEGHORN ipse in illorum sententiam discedebat; dixit enim, se semper nihil admo-

dum interdicente sanguinem detraxisse. Et inclytus Senac id tutius esse aiebat, non necessariam tentare venaesectionem, quam ab ea praeter rationem temperare.

34. Sylvio, quondam Lugduni Batavorum Professore celeberrimo, viam monstrante, non negamus conducere aliquando in febribus intermittibus V. S. verum non tamquam intermittibus, sed tamquam symptomatibus ipsis comitantibus. Et cum SYLVIO medici nunc illustrissimi consentiunt.

35. Cum V. S. sine discrimine ufurpatam oppugno, oportet fatear, eam in febribus diathesi phlogistica comitatis non solum utilem, sed etiam saepe necessariam, esse. Febrium enim harum curationem sanguinis detractioe omissa, summo cum periculo, et inepte molimur. Praeterea V. S. paroxysmos levat, multis malis jam adfuturis occurrit, et nonnunquam moribundos ab orco eripit; imo etiam, si febris fomitem in diathesi phlogistica habeat, facile ad exitum operae sanguinis missae adducetur. Haec cum ita sint, mirum sane vivos non incelebres V. S. in febre ut noxiam ablegasse.

36. Haud negandum tamen est, quod hoc ipsum auxilium observationem et prudentiam

in usu semper desiderat; et quoniam nonnunquam hoc necessarium est, quemadmodum sit utendum eo dicemus, si prius iis de rebus quae ejus usum suadent, vel quae vetant, dixerimus.

37. Febris nunc grassans V. S. magis, quam febris tunc frequens, nonnunquam postulat; v. g. febris quae anno 1729 Ultrajeſti populum vastabat, paucos pepercit, qui sanguinis jacturam non faciebant*; contra autem illa Magni Portus, (Anglice Portsmouth), anno 1755 publice grassans, licet capitis dolore, vertigine, et delirio stipata, scalpelli usu abhorrebat †.

38. Miasmata paludum putridarum forte febres gignunt, quae V. S. minus, quam febres a frigore et humiditate initia sua ducentes, exigunt ‡. Multa autem desunt hanc opinionem stabilire; aliae enim febres, a simili causa orientes, sanguinis jacturam sine damno passae sunt §.

39. Illi,

* Mushenbrock, Phil. Transf. No. 425. p. 357.

† Lind on the diseases of Europeans in hot climates, p. 27.

‡ Pringle, diseases of the army, p. 208.

§ Cleghorn, Minorca, p. 180.

39. Illi, qui vitam ad diathesin phlogisticam proclivem egerunt, omnium V. S. maxime desiderant. Oppositum praedicari potest. Hinc febres regionum calidiorum, licet multis signis phlogisticis stipatae, sanguinem admodum caute mittendum postulant. Hinc infantes, et senes, et foeminae, et ignavi, et inedia confecti, usum hujus remedii aegrius tantum ferunt. Monente vero Celso venerando, usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potius adhibendas rationes esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim, non quae aetas sit, sed quae vires sint. Ergo, si puer imbecillus est, aut si mulier parum valet, male sanguis mittitur: Emoritur enim vis, si quae supererat, hoc modo erepta. At firmus puer, et robustus senex, et mulier valens, tuto sic curantur. Et febres quidem regionum calidarum non solum aliquando V. S. levantur, sed quoque in robustis eam nonnunquam adhibendam enixe requirunt.

40. Alii V. S. febres postquam intermiserint in remittentes vertendi arguerant; et eam numquam in intermittentibus veris adhibendam arbitrantur. Alii vero, et numero graviores, cum fructu, non solum in remittentibus

tentibus postquam apyrexiam plenam habuerunt, sed quoque in intermittentibus, ab initio puris, venam secaverunt.

41. Opiniones ita diversae, medicis a singularibus ad propositiones universas ratiocinantibus, solum tribuendae sunt. Homo enim natura superbus observationibus propriis, licet exiguis et angustiis, inniti, quam experientiae aliorum credere, mavult. Sed ne plura, quae sunt pene innumerabilia, conlecter, comprehendam brevi: Sic enim statuo, viribus fientibus venaesectionem, nunquam vero nisi vi symptomatum coacti, adhibeamus oportere.

42. Tempus venam secandi in dubium venit. Jamdudum CELSUS observavit, quod, si vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Et igitur dixit, expectandam esse intermissionem. Nonnulli recentiorum CELSO, numquam non spectando, consentiunt. Ratio tamen nulla est, quod ad hanc sententiam adeam. Nonne e re erit, durante calore, cum ex actione cordis nimia periculum aegri capiti immineat, ille sanguinis jacturam faciat? Exinde enim, non solum mala ante oculos nobis versata mitigamus, et quicquid boni in se remedium habet adipiscamur;

camur ; sed etiam abhinc medicus in febribus malignis potitur temporis, quo, intermissione prima accedente, cortice uti possit ; imo quinetiam febrem ad remissionem felicem, aliter non secuturam, perducatur. Et non solum haec dicitur sana ratio, sed etiam virorum celeberrimorum usus *.

43. Sed tamenetsi res ita se habet, eorum opinio minime sequenda est, quorum eo processit audacia, ut in frigore febrili venam secare ausi fuerint, quod sane absolum et periculosum ; cum enim deprimatur pulsus, aut ferme dilitescit, cum vix circuit sanguis, cum spiritus vitalis obrui videtur, quid ex sanguinis missione sperandum ? Quid non timendum ?

44. Alii quidem V. S. rejicientes, veluti auxilium infidum, dixerunt aliter cum haemorrhoidum evacuatione rem se habere ; et igitur evacuationem promovendam esse arbitrantur ; tumoresque ad fluxum foliorum caricis frictione alliciunt. Ita eruditus Haenus ratiocinatur. Ea verba : ‘ Quamvis multum absit, ut cum
‘ priscis medicinae patribus, unicam quartanae
‘ febris ab atra bili duceremus originem, infi-
‘ cias

* Senac de febr. l. 3. c. 9. ; Cleghorn, Minorca, p. 182. ; Pringle, dis. army, p. 201.

‘cias tamen nemo ibit, quin ab atra bili gigni
 ‘quartanam. Bilis autem atrae per haemor-
 ‘rhoidas evacuatione causa febrigigna imme-
 ‘diata, atque directe evacuatur, ut sic demum
 ‘febris cesset.’ Ad unam alteramve harum pro-
 positionum credendam, me hercule, non possum
 animum inducere. Remedium igitur, ob mo-
 lestiam, immunditiam, dolorem, periculum, et
 inanitatem, a me rejicio.

45. Medici diathesin phlogisticam cathartici-
 minuendam putaverunt. Tarde autem cathar-
 sis evacuat; subinde debilitatem universam, ac-
 tione cordis parum diminuta, gignit; nec effec-
 tus aequae evidentes unquam ac V. S. dat. Quo-
 circa, CULLENUM sequens, catharsin ad hunc
 scopum attingendum esse auxilium infidum, ar-
 bitror. Fatendum tamen est, eam in febribus
 intestina evacuando, egregiam operam saepissime
 praestare. Nec dubitandum est, quin aliquando
 lenia cathartica, ante paroxysmos adhibita, iis
 venientibus occurrisse visa fuerint; quod illa,
 quia lenia fuerunt, nullo alio modo, nisi diathe-
 sin phlogisticam auferendo, efficiebant.

46. Ill. Mead exiguam portionem rhabar-
 bari cortici admiscebat; ea scilicet ratione, ut
 alvus bis saltem quotidie dejiceret. Qua ratione
 procul

procul dubio obstipatione occurritur. Obstipatio autem rarius durante corticis usu videtur, et nulla res tam ad eam removendam valet, quam enema salinum ano infusum. Alii ex cathartice cortice admixtis diathesin phlogisticam minui crediderunt. Et alii demum potius, si intestina fordida fuerint, et tempus ad ea purganda defuerit, corticem adhiberi una cum cathartice voluerunt. Nullum fructum hinc oriundum affirmare haud dubito. CORTEX enim ipsa, dum alvum solvit, nullos effectus tonicos edit. Et sane methodus sanandi haec, ab inani et futili theoria, meo iudicio, orta est. Medici enim, ne venena esset cortex diu intestinis haerens, metuebant!

47. Deinceps videamus, quatenus viscera obstructa, in febrium curatione, attentionem sibi vindicare debeant; sed, antequam de hoc aliquid dictum iri instituo, de eorum natura disserere, perpendet animus. Argumentum revera expeditu perdifficile. Saltem, mea sententia, auctores rationes horum parum aequabiles tenuerunt. Quod scriptis autem extat, duo huiusmodi obstructionum genera esse colligo; quorum unum longum, alterum acutum.

48. Morbus jecoris longus CELSI, tumorum genus Haeni secundum, et *ague cake* PRINGLE, prioris generis sunt. Excipit febres, quae, saepius recurrentes, aegrorum vires plurimum fregerunt. Ecce signa. Dolor obtusus locis affectis sentitur, qui modo finitur, et iterum, praecipue ex pressura, vel post cibum intenditur. Praecordia dura sunt, et tument. Remediis infractus diu plerumque perstat; et ubi inveteravit, vultus fit plumbeus, cutis bile flavescit, venter et crura pedesque aqua intumescunt, et suppuratio cum febre hectica mortem plerumque infert.

49. An idem sit ille tumor, quem febres anno 1761—1763, excipientem videbat SYDENHAMUS, necne, fatis discernere nequeo. Hic effectus valde diversos procreabat. Nam, inquit vir illustris, iis gradibus quibus hoc symptoma supervenerit, febris etiam fugam meditatur. Quodque de tenera aetate, quoad ventris tumorem illi. Sydenhamus scribit, id aetatem habere adultam eruditus de Haen monuit; hanc vero crurum oedema frequentius. Hic tumor igitur nihil aliud forte est, quam ex relaxatione durante febre aquae quantitas exigua in abdomen

†

D

infusa;

infusa ; quae, febre vel natura vel medicamentis coercita, facile iterum resorbetur.

50. Sed quod ad argumentum attinet, viscerum obstructions istae, quas modo praedixi, de sanguine in visceribus congesto existere habentur. Sanguinem, durante stadio algido, intus adigi, nullatenus dubito ; exindeque forsitan viscera intumescere. Sed nihil est, unde in visceribus jam obstructis haec fieri concedam. Cadaverum enim sectiones hepar lienemque multum mole aucta, quoad consistentiam vero et faciem immutata, ante oculos anatomicorum proposuerunt. Vel si consistentia fuerit mutata, durior inveniebatur. Quocirca vasorum compages, ex quibus constant viscera, numero augeri, prorsus existimo ; unde curatu ita difficiles obstructions ; licet enim febris, hos tumores excipiens, non semel ad nihilum redegerit ; est tamen fatendum, eos plerumque pejores ex singulis paroxysmis fieri.

51. Hepatis et lienis inflammationem acutam quoque a medicis inter viscerum obstructions poni, mihi visum est. Inflammationes enim viscerum abdominalium saepe febres intermittentes excipiunt ; obstructionsque hujusmodi aliquando comitantur inflammationes thoracis a-

cutae. Obstructiones porro, cadavere infecto, aliquando abscessus continere, aliquando sphacellatae inveniuntur.

52. His praemissis, statuendum est, quid in febrium curationem auctoritatis habeant istae obstructiones. Quaestio caliginis multo obducta. Alii enim asseruerunt, febres, existente abdominis tumore, non sine periculo depelli. Alii contra magna auctoritate pollentes arbitrantur, tumores semper ex paroxysmis ingravari; exindeque suadent, ne pergere finerentur. Controversiam judicare, nequaquam in me recipiam; sed conspiciendo animo, qui sint obstructionum exitus consecuturi, distractas opiniones in concordiam reducere, tantum quantum possum, conabor.

53. Animadvertit jamdudum GALENUS, obstructiones istas difficillimas esse curatu. Et profecto non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est. Si ergo, dum homo a febre et simul visceribus obstructis laboret, priorem illi dempserimus, et si hydrops, icterus, et cachexia supervenerint, nonne haec potius ad affectus naturam, quam febris defectum, tribuenda sunt? Si ergo febris inveteravit, et hypochondria tumescunt, orbusque singulis paroxysmis ingravescit,

scit, procul dubio febrī occurrere quam primum sapientis est.

54. Unde igitur medici, se paroxyſinis fugatis multa mala vidisse apud obstructione vexatos dixerunt?

55. Nisi me fallit animus, in hoc saepe fuit error, quod humores in intestinis corrupti, ab illis obstructiones habiti sunt; v. g. SWEITENO*. Nam ubi res postulat, mala multa ex intestinorum colluvie, febre depulsa, exoriri ostendam. Hoc plures fefellit.

56. Alii rem accuratius perpendentes, nihilominus febre fugata, effectus obstructionum necessarios aspicientes, illa in febris desiderium contulerunt, quae morbi indoli solum tribuere debebant.

57. Alii demum, praesudicio abrepti erga remedium haud ipsis consuetudini ascitum, obstructiones inducendi corticem arguunt. Opinio iniquis fundamentis nititur; et igitur nihili aestimandum est.

58. Neque tamen vanum est, quod vulgo dicitur, aliquas esse febres benignas, imo et salutare, nempe quae obstructiones viscerum sen-

sim

* Comment. tom. 2. p. 564.

sim expediunt, neque vero ultra modum affligunt, aut debilitant. Et quoniam natura remedium vix ejusmodi affectibus tribuit, in his, ad aliquid antidotum statim procedere, minus forte aliquando salubre foret.

59. Suspicionēs vero adeo multorum medicorum firmantur opinione, ut illas esse veritati alienas affirmare non ausim. Et quidem percipi potest, quomodo obstructionibus aliquibus, a remediis tonicis injuriæ oriuntur. Intuta enim, imo etiam nociva sunt tonica, ubi in regionibus frigidis inflammationes acutæ adsunt. Sub Sole calidiore autem, inflammationes acutæ debilitate sæpe comitantur, et paroxysmis singulis irritantur; unde tonicorum auxilium ex tempore invocant. Et, febre fugata, remedia ad malum medendum in usum vocari possunt.

60. His de obstructionibus dictis, amplius de illarum sequelis, v. g. hydrops, icterus, &c. verbis tempus terere parum necessarium duco. Opera jam data, ut febrium curationem viscerum obstructionibus, nisi diatresi phlogistica comitatis, haud impelli, palam facerem; rationem eas medendi silentio tradam, quoniam ad propositum haud attinet. Licet enim appareat, in plerisque quartanis diuturnis, vitia organica subesse;

subesse ; ex quo tamen minime consequitur, quoad ad quartanas febres, nihil cum recta ratione adhiberi possit, quam quod ad glandulas referendas valet *. In hoc enim medicus aequè sapienter officio suo fungeretur, ac si in cordis valvularum ossificatione, ad duritiem emolliendam, aquam in pectore fluctuantem evacuet.

61. Sed, quoniam de eo genere malorum dictum est, quae ad febres tantum nonnullas spectant, et quorum causa semper vitari potest ; deinceps de intestinorum colluvie, quae ad universas, quaeque ad febrium omnium initia pertinet, et de qua porro certiores sumus, magis grate disputandum est. Medici autem officiorum, ad humores corruptos in intestinis haerentes spectantium, partim ejusmodi sunt, ut ad febris naturam pertineant ; partim humores ipsos ut attingant. Danda igitur est opera, omnino si possit, utrisque, nec minus ut etiam singulis consulatur : Sed ita ut ea res aut proficit ambobus, aut certe ne obsit alterutri.

62. Superiorum seculorum medici, quos hodie barbaros appellant, tam confuse de hac re scribunt,

* Schulz de usu mercurii. Apud Halleri disp. med. pract. t. 5. p. 108.

scribunt, et multiplicem curandarum febrium descripserunt rationem; tamque varios purgationum, pro humorum diversitatibus, a quibus febres nasci crediderunt, modos proposuerunt; quibus scitent integra febrium curandarum volumina; ut, si quis ea imitari vellet, aegro curam incertiore redderet, quam si totum negotium naturae committeret, quae per se sola ad febres hujusmodi sanandas saepissime sufficit. Ideo sine discrimine intestinorum purgantibus uti, a viris celeberrimis omnium seculorum intuitum, inane, imo nocuum esse censetur. Quorum autem usum, qui in universum vituperat, haud sane intelligo quidnam sit, quod laudandum putet. Licet enim adeo circumscripte monuerim, non esse danda, nisi intestinorum id posceret impuritas, intestinorum evacuantia; hoc autem tempore nobis declarandum est, febres vix et ne vix quidem unquam sine intestinorum colluvie in initio occurrere.

63. Multa ad impuritates gignendas conspiciunt. Febres saepissime in locis et temporibus ad bilis praeter modum generationem proclivibus grassantur; insuper crebro diaetae erroribus inducuntur, et populum plerumque concoctu difficili cibo onustum aggrediuntur.

64. *Ægris* febre praefertim remittente laborantibus, si statim ab initio non sumpserunt evacuatorium, accedunt capitis dolor, stupor, et vertigo; angunt anorexia, nausea, oris amarities, et anxietas; foedantur cutis, et lingua, volvitur per abdomen flatus; tument hypochondria; inflatur ventriculus; et urgent cardialgia, ventris tormina, vomitus, et diarrhoea biliosa. Haud igitur mirandum est, si mala adeo numerosa, morbo jam gravi superaddita, incrementum illi gignerent, eumve curatu difficiliorem facerent. Et summa quidem auctoritate medicorum dicunt, omnium rerum nec aptius esse quidquam ad febres debellandas, mitigandas, et curatu faciliores faciendas, quam intestina evacuari.

65. Natura sane ad humorum corruptorum evacuationem viam monstrat; durante enim stadio algido, plerumque vomitus ultro accidit, qui ad propositum perficiendum saepe sufficit. Idcirco perspicuum est, quod si in corpore causa, qua expellendi sunt, direpta, humores isti corrupti residere sinuntur, multum instabit periculum. Et dicta experientia firmanitur. Dum enim intestina multis impuritatibus onerantur, non sine difficultate maxima, imo et summo periculo,

periculo, paroxyfmi occurrendi funt *. Et ab-
hinc magnus mihi animus est, hoc caufam fu-
iffe praecipuam malorum illorum, quae ufum
corticis in viscerum obftructionibus fecuta effe,
dicta fuerant. Dubitantesque ad Sweiteni com-
mentarium relegamus †. Quamobrem, ut eme-
tica, et cathartica fere nunquam, nifi impuri-
tatum fignis indicantibus, danda funt ; ita, his
fignis fe ostendentibus, ab iis temperare incon-
sideratum et periculofum plerumque foret. Si
autem fpes in angufto funt, et mors primo pa-
roxyfmo expectatur, ad remedium, quo certif-
fime praecaveri poffit, ftatim, omnibus aliis post-
habitis, confugiendum est. Paroxyfmisque mi-
tigatis vel fugatis, fatis tute intestina purgari
poffunt.

66. Deinceps de modo, quo intestina pur-
ganda, dicendum est ; utrum fint meliora eme-

† E tica,

* Mead monita med. ed. Wintring. t. 2. p. 41. ;
Werholf obf. de febr. p. 63. ; Caretheufer mat. med.
t. 2. p. 540. ; Swieten comment. aph. 758. ; Senac
de febr. l. 3. c. 7. et 8. ; Pringle dif. of the army,
ed. 2. p. 206. ; Stork ann. med. i. p. 52. ; Collin
ann. med. iii. p. 28. ; Lind, Bengal fever, p. 58. ;
Clark, warm countries, p. 144.

† Aph. 767.

tica, an meliora cathartica? Tanta est inter medicorum de his sententias, quanta maxima potest esse distantia. Omnium igitur sententias recensere, minime mihi est in animo. Dicam solum ut sentio.

67. Emetica plerumque esse efficaciora putantur (68.), eodem tempore, quoniam obstipatio et bilis in intestinis quantitas praeter naturalem saepius adsunt; necessarium habetur, una cum emetico adhibere catharticum nonnullum, ea scilicet ratione, ut alvus bis terve dejiceret. Si vero emetici usui debilitas viscerumve inflammatio obstant, ad cathartica sola confugiendum esse, omnes arbitrantur. Opinio mea fert, hunc esse modum, quo medici celeberrimi impuritatibus intestina vacuefecerunt. Alii autem propensiores ad vomendum, alii ad alvum ducendum, videntur. Nihil autem ex his esse perpetuum; sed curantis consilium ad aegri ipsius statum potius dirigendum, in mea sententia est.

68. Et emetica, quoniam ventriculum et duodenum, omnium impuritatibus maxime onusta, evacuant, efficaciora opinamur; itaque semper purgantibus longe praeferranda; semperque, si opus ad intestina evacuanda fuerit, nihil ad-

modum

modum contradicente, adhibenda. Multa in usum vocata sunt, scil. chamaemelum, raphanus, erigerum, asarum, et helleborus albus; sed ante omnia ipecacuanha, et ANTIMONIUM. Duo, quae promime nominavi, munere omnium facile funguntur.

69. De nonnullis placitum est, ut ipecacuanha uterentur. Nec dubitandum, quin ex hac ventriculus et duodenum evacuari possint; licet ex ipecacuanha, quam ex antimonio, hoc minus efficaciter, et minus expedite, factum ire arbitror. Neque ad alvum solvendam aequae facile ipecacuanha, ac antimonium, administretur. Exinde medici inter recentiores auctoritate gravissimi antimonium praecipue, febrium initiis adhibent*.

70. De terrore, quo illi, qui antimonii quantitatem sane metuendam quondam videbant adhibitam, perculsi erant, nihil miror. Contra autem antimonii detractores, qui nunc id, caute adhi-

* Waldschmidt p. 849.; Morton op. t. 2: ex. 1. c. 8. p. 102.; Senac de febr. l. 3. c. 7.; Cullenus; Werholf obs. de febr. p. 65.; Heister, comp. med. c. 2. § 12. p. 23.; Pringle, dis. of the army, p. 202.; D. Monro, military hospitals, t. 2. p. 84.; Lind, Bengal fever, p. 60.; Clark, warm countries, p. 145.

adhibitum, remedium fuisse praesentissimum et tutissimum viderunt, veritas ipsa me una cum celeb. Sylvio exclamare coegit. Non enim sunt audiendi asini de lyra iudicium laturi *.

71. Forma sub qua optime antimonium adhibetur, est ubi calci purae acidum tartari superadditur. Hujusmodi est TARTARUS EMETICUS P. E. Cl. Lunelius nuper emetici formulam, a dicta non multum discrepantem, academiae pharmaceutices Parisiis proposuit. Vitro antimonii, antequam crystallis tartari adjiciendum, nonnihil acidi vitrioli affundit; quo lota, calx purior fit.

72. Quod si revera non tantum superiora, sed etiam inferiora intestina, a colluvie liberare, (in plerisque necessarium), cupiamus; utraque commode et facile obtineri possunt, salis cathartici alicujus solutione, quae tartari emetici circiter gr. i. in se habet. Emeticum ita adhibitum est Gallorum *l'emetique en lavage*. Non solum ex eo certius purgatio per alvum producet, sed etiam per os. Hinc enim catharsin, alias non secuturam, gignit antimonium, etiam celeberrime repetitum. Porro, urgente periculo, tute

fic

* Meth. Med. l. 2. c. 10. par. 43.

fic intestina brevi tempore evacuantur, ita ut CORTICE, prima remissione accedente, frui liceat.

73. Cum vero, incipiente febre, vomitorium ob intestina inflammata invocare non licet, cathartica nequaquam omittenda sunt. Medici veteres febrium curationem ita cathartorum impleverunt, ut si omnia recensere vellem, omnia quae medicamentariorum officinae continent, enumeravero. SALES NEUTRI autem, SENNAE folia, et TAMARINDI, praecipue in febribus versantur, et ad propositum satisfaciunt; quare caetera praeteribo.

74. Medici aetatem omnem, ab initio rerum usque ad infantem, in litibus de purgandi tempore contriverunt, et tamen inter se adhuc quam maxime dissentiunt. SYDENHAMUS quidem volebat, medicamentum quatuor ante ipsum paroxysmum horas tentare. Ita autem absuit ROSENSTEIN ab emeticis ante accessiones adhibitis, ut ea potius statim post proxysmum usurparet. Sed usus ostendit, ut jam de venaesectione monuimus, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potius observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quid febris tempus sit, sed quid medico temporis

poris superest. Ergo, si tonica prima remissione danda sunt, commode, durante paroxysmo, per os intestina purgantur. Imo etiam in febribus, ad continuas appropinquantibus, remissio, non nisi ex intestinis colluvie levatis, expectanda est. Eodem consilio statim post paroxysmum, intesti-
norum purgantia adhibentur. At, si tempus superest, evacuatio tuto intermissione postponetur; et medicum oportet, paroxysmo finito, quietem aegro det.

75. Jam remedia, durante paroxysmo, applicanda recensere progredior. Nec consilium curantis in stadio algido, ab illo, durante intermissione, mutari arbitramur. Et revera eadem fere hic atque in intermissionibus usurpantur. Sic placuit medicis stimulantia impertiri; scil. piper, serpentaria Virginiana, vinum, alkali volatile, et rubefacientia. Plerumque autem, licet frigus acerbum videatur, et pulsus etiam vix percipi queat; tamen, quoniam actio vasorum brevi incrementum acceptura est, prudentiores stimulantia saepius praetereunt. Si vero aeger, funesto algore correptus, quasi moribundus et languens per plures horas jaceat, et si calorem vehementem superventurum haud liceat expectari, actio vasorum quam citissime vino, julapiiive spirituosis,

spirituosis, et salium volatiliū repetitis dosibus, promovenda est.

76. Sales neutres porro, sed maxime effervescentes, durante algore, adhibuerunt medentes, et fertur magno cum fructu, ob vim quam ad paroxysmos mitigandos habent. Experientia tamen adhuc manca, et modus, quo aër mephiticus operatur, incertus me detinent, ne ultra rem perpendam.

77. Antispasmodica demum, durante algore, adhibuerunt medici; opium nempe et aetherem vitriolicum; et tutiora stimulantibus plerumque existimantur. Nonnulli tamen, ob noxas ab illis gigni creditas, antispasmodica (135.) ablegant. Nec in me suscipiam, de febrium statu, in quo convenient, discernere.

78. Stadio algido desinente, vomitio sponte saepe accidit, quae calorem plerumque gignit. Et igitur CELSUS voluit, quum primum aliquis inhorruit, et ex horrore incaluit, dari ei potui aquam subsalsam, et vomere eum cogi; et profecto febris saepe sic discutitur. Alii potius ad emetica fortiora confugerunt; inter omnes vero eminent ill. Thomson, qui per annos viginti eo febris tempore, emetica, non sine magnis laudibus, praebat; imo etiam omnem spem salutis

in eorum virtute ponebat. CULLENUS quoque ipse, qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non ostendit, emetica, secundum Thomson rationem adhibita, laudat. His dictis res ultra dubium posita videri potest. Alii autem, et ne quidem parvi nominis, dissentiunt; non enim, aiunt, tunc tentari emetin debere, licet vomitione spontanea et nausea indicari videatur; quippe anxietates tantum et dolores acerrimos inferre possunt emetica; et ventriculi subversionem quamlibet, aiunt porro, nisi per aquam calidam solam formidandam esse. Pernitium inter has sententias interest, ut ullo modo reconciliationem admittant. Nec inter tantos judicare in me recipiam.

79. Cel. Lind miris laudibus praedicabat clarior opii exhibendi rationem quam tamen nonnulli antea usurpaverant. Vir egregius autem, felici cum eventu, in stadio febrium calido, fervore urente, capitis dolore, et summa anxietate comitato, opium dabat. Nec unquam, nisi delirium adfuisset, ullum malum hanc rationem sequens videbat. Et, licet febres hoc modo minime discuteret, attamen eas multo leniebat. Et sententia Lind, experientia Saunders approbari videtur. Praeclarus autem D.

Monro,

Monro, licet fateatur aliquam vim ad paroxysmos mitigandos opio inesse; tamen ejus virtutes multum intra famam esse expertus est. Et insuper opiata, momente MORTON, paroxysmum legitimum haud raro in apoplexiam, vel alium aliquem peracutum morbum, convertunt. Nihilominus fatendum est, medicos miris praejudiciis contra opium abreptos esse; nec dubito, quin in hoc rerum statu eisdem effectus praestare possit, quos postea enumerabo (91.).

80. Ubi sudore paroxysmus solvitur, referuntur prodesse remedia blande et diu sudorem promoventia. Et vere, si non transit remittens in intermittentem, debelletur forsitan sudatoriis haud calefacientibus in sudoribus criticis. Sed hoc in Veris intermittentibus, praecipue quotidianis, fere solum obtinet; quia in his praesertim adest diathesis phlogistica. Nec ullo modo credimus sudatoria prodesse, nisi quatenus diathesin illam removeant. Huicque solum tribuendi sunt effectus egregii, quos edidisse sudatoria referuntur. Sed, monente SENECA, utrumque vitium est et nulli credere et omnibus; quare ne nimium crede omnibus, quae de sudatoriis medici dixissent. Omnes fere enim in illa fuerunt opinione, febrilem materiam hac via de corpore

†

F

, commodissime

commodissime eliminari; quinimo et multi crediderunt, auctis his sudoribus, posse expelli etiam illud, quod manens in corpore sequentes paroxysmos renovaret. In hoc tamen vanam rationem secuti sunt; quippe dubitari nequit, quin, sudore exundante, exhauriantur corporis vires; et quin stragulis congestis, vel potu calidioris hausto, saepe major excitetur calor, et delirium aliaque mala inducantur. Et porro patuit ex SWEITENI dictis, omnium difficillime curari febres intermittentes in illis hominibus, qui sudoribus quam maxime diffluunt.

81. Restat solum ea pars, quae febricitantis regimine continetur. Atque, durante stadio algido, nonnulli censuerunt, aegrum multa veste indutum prope caminum luculentum esse sedandum; vel potius ambulatione citiore exercendum. Alii vero arbitrantur, id tutius et melius esse, quod in paroxysmos se lectulo aeger committet; quia languor, lassitudo, et dolor artuum capitisque, ad hoc suadent. Cum prioribus, viris equisque, ut dicitur, si aegrorum commodum tueri et consulere sententia est, decertandum est. Constat tamen inter omnes, quod, accedente calore, mox se aeger lecto contineat, et omnigenum irritamen, praesertim autem calorem,

lorem, de conclave angustiore, de stragulis pluribus, vel de igne, evitet. Dum autem perstat algor, stragulorum assuetis plurimum opus est; et imo etiam, si rigores fiunt vehementiores, ampullas aqua calida oppletas ad pedes applicari. Ubi vero febris decrevit, et sudore corpus madescat, tunc quidem stragulis nequaquam operiendus est aeger; sed aliquandiu sudet placide et quiete. At, cum ex sudore molesta sentiscit, leniter et caute cohibendus est sudor potu frigidiore, manibusque sensim nudatis. Et, ubi sudor exantlatus fuerit, sedule mutandum aegri indusium est.

82. Quemadmodum febricitantes cibum nihil appetunt, ab eo prorsus abstinendos esse existimo. Febris autem sitim arentem accendit; de potione igitur ingens pugna est. Ubi enim frigus expectatur, monemur a plerisque omni potione prohibendum esse aegrum; haec enim, ut dicitur, paulo ante data multum malo adjicit, ventriculum opprimit, et anxietatem auget: Et porro monemur, docere aegros, ubi febris conquieverit, protinus sitim quoque quieturam, longioremque paroxysmum fore, si quod ei datum fuerit alimentum; ita celerius eum desinere sitire, qui non bibit. Demumque mo-

nent,

nent, ut fitim fructibus acidis, vel os eluendo, sedent; quae, quin aliquando valeant, nullatenus dubito; fitis enim a salivae secretionē impedita aliquando pendet. Ubi hujusmodi causa obtinet, potio forte supervacanea, imo periculosa fuerit. Si vero liquorum gastricorum secretio fit impedita, accenditur fitis, quam nihil praeter aquam compefcere potest. Et nunquam nobis fidem faciunt, malorum quae aquae potionem moderatam secuta esse dixerunt. Potus sufficiens ergo tenuis, et tepidus, aegris aliquando, pro fitis ratione, non solum non dene-gandus est, sed potius commendandus; quique tamen non affatim aut praecipiti modo, at modicis haustibus, sensim sensimque ingerendus est.

83. Retinendum etiam, durāte stadio calido, potum aegro Asclepiades putavit, sic ut ne os quidem primis diebus elui sineret. Et CELSUS ipse existimavit, primo die nullum dari humorem debere. At illud quidem ab Heraclito Tarentino dictum majus rationis habet, febrem nempe leniri, nec unquam augeri, per modicas potiones. Hispani autem et alii non potui aquam dant, priusquam febris in summum incrementum advenerit. Plerique tamen melius
nullam

nullam cautionem exigunt; sed putant, aquam praestandam esse, ut bibat aeger, non affatim quidem, sed sensim usque ad libitum.

84. Quaestio est per totum orbem terrarum notissima, an potus frigidus, an calidus adhibendus est? Nec tamen a CLEGHORN dissentio, qui, de more Hispanorum, concedebat aegrorum votis, dando aquam frigidam peroptatam. Ubi febris decrevit, aliqui sudorem potu calido promovent; ineptam tamen rationem sequi mihi videntur. Enim sic vires aegrorum convelluntur. Credo melius esse, potum temperatum adhibere, et solummodo frigus repentinum vitare.

85. De paroxysmis avertendis valde considerandum est; omnium enim rerum nec aptius est quidquam, ad febres debellendas, quam paroxysmos averti: Hinc enim aufertur causa, qua paroxysmi futuri sequentur (22.). Duplex omnino occurrendi genus est, unum cordis et vasorum motum vel frequentia vel viribus auget; alterum corpus minus ad impressiones proclive facit.

86. Inter remedia, durante apyrexia, danda, considerari victus et vitae regimen veniunt; quae semper multum juvant, et per se recidiva
prae-

praecavendo omnia longissime exsuperant : Medicamenta enim effectus edunt nimis fugaces, et, longum adhibita, nauseam faciunt, ita ut, instante periculo, iis frui aegris miseris negatur. Porro, ubi relaxatio in diuturnis obtinet, nihil fere, praeterquam victus et vitae regimen, ad roboris redintegrationem valeat.

87. Et ante omnia quaeritur, qua aëris ratione aeger continendus sit ? Et cum satis constat, paludum miasmata nocere aegris, et febrem, jam oppido paulum sopitam, inde saepissime renovari ; conducet AER PURIOR, et noxiis effluviis liber. Et quisquis, etiam parum in regionum calidarum, et in paludes pronarum, febribus versatus, noverit plurimos, qui non prius convaluerunt, quam mutato coelo, et in locum salubriorem secessu, causam febris remotam vitaverint. Et vix quidem credat ignarus, quam brevi aegri febribus pessimis laborantes vires redintegrant, etiam parvo curae adhibito, si ita in locum siccum vel ad mare magnum secesserint.

88. Quod ad cibum vero pertinet, Asclepiades febres inedia curare professus est ; in quo vanam rationem secutus est. Abstinentum enim a cibo, non nisi in primis diebus est ; et id e-

tiam

tiam hac sola lege, nempe, ut diathesis phlogistica urgeat; quoniam ex imbecillitate summum est periculum. In remittentibus quidem, aegri cibum, praesertim animale, raro appetunt, et ventriculum nauseantem cibo onerare semper periculosum est; quare hi a cibo magis idoneè abstinent. Si autem aliquod appetunt, iis concedendum est, etiam manentibus febris reliquiis. Cum enim viribus opus est, et satis temporis non restat, fatius est principium concoctionis a decedente febre, quam reliquias ab incipiente, excipi. At in intermittibus veris absurdum est, ubi cibi appetentia valet, diaeta parca et tenui aegros circumscribi. Fructus tamen horaeos et similia vitari oportet; itaque vescatur aeger CARNIBUS eupeptis, et PANE bene parato.

89. Abhorremus vina tenuiora, et omnigenam cerevisiam, PORTER excepta; fermentationem enim in ventriculo subeunt, exindeque infirmant. Sed pro potu ordinario anteponimus omnibus AQUAM puram et frigidam; ventriculum enim optime roborat, sitim temperat, et ciborum concoctionem promovet. Nec a LIQUORE VINOSO arcendus est aeger, qualiscunque is fuerit, qui ad ventriculum facit. Lata enim

enim edocemur experientia, quantum ad effectus miasmatum praecavendos valent hi liquores generosi; et insuper his solis aegri nonnunquam restituantur, etiam ii, quorum corpora vim corticis perpetue eludebant.

90. Atque porro ineptum est, in intermissionibus aegrum in lecto, vel cubiculo, vel domo detinere, nisi ita frigus vel miasmata vitari possint; at exerceat se aeger in aëre temperato. Id tamen non adeo agendum existimamus, ut aegri fatigentur, vel ut calori aut frigori summis exponantur, praecipue si febres ad remittentium indolem accedant.

91. Jam differendum est de remediis, quae inducendo fibrarum moventium conditionem, minus impressiones externas sensuram, accessionibus obstant. Si enim homines, qui fibras maxima vi contrahentes habent, quoque omnium minime irritabiles sunt; nonne propositione inversa, videbimus, irritabilitatem minuendo, nos vim contrahendi simul augere? Idque eo magis dicitur sana ratio, quo morbi, a mobilitate solum pendentes, saepe roborando sanantur. Porro, in accessione semper adesse coarctationem vasorum minorum jam dixi, ejusque causam ad sensibilitatem nimiam retuli (16.)

Plura

Plura autem febrium symptomata hacce coarctatione oriuntur (17.); nec dubitandum est, quin, ejus causa sublata, symptomata haec citius ad cursum sese meditabuntur. Remedia igitur enuncianda, apta, saltem ad paroxysmos levandos, videntur; et quicquid paroxysmos breviores et mitiores reddit, intermissiones longiores, et etiam morbi solutionem, producet (22.).

92. Consilium praedictum impleri ab hyoscyamo, camphora, valeriana, OPIO, croco, et oleo animali, opinor. Omnium tamen opii vires et effectus ab usu optime experti habentur; de illo igitur solum nunc in animo est aliquid dicere.

93. Nec nova res est opium adversus febres intermittentes usurpare; sed varia ejus praeparata, praesertim theriaca, antiquissimo etiam tempore arriserunt. Riverius autem, SENAC, et Stork, licet fateantur, aliquam in opio esse vim ad cohibendos febrium paroxysmos, tamen monita adjecerunt; hoc enim remedium non nisi summa cum cautione usurpandum esse arbitrati sunt. Testaturque ill. Stork, se hanc methodum in multis aegris magna cum attentione adhibuisse; vix quiquam febre liberati sunt, sed omnibus fere opium induxit, temulen-

tiam, et plerisque paroxysmos fecit longiores, atque alvum constipavit. Contra cel. Berryat, anno 1765, laudabat opium pro novo ad febres remedio; quo jure vero ex dictis liquet. Quomocunque id fuerit, opium hora una ante accessionem dabat, et eo plerumque hanc praeveniebat. Si sub ipsa accessione dedisset, periculum sequebatur; si longius ante morbi incursum, nulli effectus ejus usum excipiebant. Ill. GREGORIUS pater opio in Nosocomio Edinensi, non sine magna admiratione, saepe usus est. Atque CULLENUS dixit, nos effectus egregios opii solum non videre, quia adeo diligenter et attente in corticis usum incubuimus. Non tamen est tanta fiducia virium mihi, ut inter viros tam celebres, decernerem; sed litem componat quisquis, qui, se ingenio, doctrina, et experientia supradictis praestare, putaverit:— Quando haec rara avis est——

94. Inter remedia, quae incitando in frequentiam cordis et vasorum motum officio suo funguntur, stimulantia externa, et INTERNA, sudatoria, EMETICA, cathartica, et animi pathemata versantur.

95. Fuit mos inter medicos applicationes stimulantibus ad carpos, vel tempora, vel maleola:

vel dorsi spinam, vel demum ad ventriculi regionem febricitantium, praesertim quartanariorum, mox ante paroxysmos apponere. Hoc quidem ob maximam auctoritatem, quin aliquando successerit, non negari potest. Fiuntque hujusmodi applicationes ex pipere, rore solis, cepa, allium, chelidonio majore, ruta, RANUNCULO, helleboro, salvia, SINAPI, bursa pastoris, millefolio, urticis, oleis essentialibus, TEREBINTHINIS, balsamo Peruviano, petroleo, succino, muria, sale ammoniaco, et ovis calidis. Quamvis viri ita illustres stimulantia externa saepe profuisse testantur, et quamquam eruditus Haenus jam per triginta annos, summo fructu, in quartana rebeli has applicationes instituit; nihilominus raro quidem utenda arbitramur. In febribus enim recentibus metuenda, in periculosis infida, et in longis remediis efficacioribus postponenda, sunt. Si autem infans diu febre laboravit, et corticem, medicamentave alia deglutire recusavit, danda opera est, ut sub accessionis expectationem aliquid hujusmodi applicetur. Imo etiam, si in adulto febris inveteravit, et frigore valde molesto comitatur, insuperque cunctanter remediis cedit, adhibendae sunt frictiones calidae et stimulantibus dorsi ad spinam; quibus ut plurimum

plurimum mitescit frigoris vis, ut mihi aliquando vidisse contigit.

96. Inter stimulantia externa electricitas enumeratur; qua Lindhault, in Actis Holmiensibus, se febrem semel sanasse testatur. Actio autem ejus cito transit; nihil igitur fere ex ejus usu sperandum est.

97. Mos apud antiquos fuit, quo medicus febricitantem ubi acceperat, in balneum ducebat, et per tempus paroxyfmi in folio tenebat. Eoque modo febrem discussam saepe videbat CELSUS. Nec aliud remediorum externorum aptius esse balneo opinor.

98. Ad cohibendos paroxyfmos, ante accessiones stimulantia plura ore adhibentur, quibus rebus, si fas sit mihi judicare, commode febres debellantur, ut jam dicendum est. Licet tamen a populo permulta fuerint administrata, nihilominus ad usum cautiores pauca tantum laudant. Observationes igitur generales in ple-risque recensendis satisficient; quare secundum ordines illa commemorabo.

99. Plantae nonnullae, quas botanici verticillatorum classe comprehendunt, usurpatae fuerunt; scil. mentha, chamaedrys, et marubium. Hujusmodi autem plantae effectus caducos, ne-
que

que motu accelerato cordem attingentes edunt. Merito igitur veluti remedia futilia rejiciuntur.

100. De umbellatis medentes pimpinellam, et pastinacam adhibuerunt; quae verticillatis praedixi vitia, umbellatis sunt.

101. Tanquam effectus siliquosis stimulantibus evidentiores sint ac praedictis, nihilominus ita fugaces sunt, ut nihil ex iis sperare, aut expectare oporteat. Vulgus tamen sinapi et raphano saepe utitur.

102. Plantae coniferae certe magis et apertius in systemate vasculoso actionem incitant. Hujus ordinis terebinthus, arbor vitae, et cypressi nuclea, magnis laudibus efferuntur.

103. Nec sunt aliae plantae apud populum usu frequentiores, quam aromata, et eorum affines; scilicet piper, CINAMOMUS, nux moschata, costus, zedoaria, zinziber, et canella alba. Etiam si ad paroxysmos cohibendos magis opportuna, et magis ex usu remedia esse opinor; nihilo secius aromata in ventriculi partem advocare, nonnunquam et licet et oportet. Nauseam enim saepe tonica gignunt, cujus fevritatem aromatibus facile curans mitigat.

104. Aliquando factum est, ut si largius ante paroxysmos comessent, illi impedirentur. Quod nequaquam

nequaquam mirandum est; quippe quod post prandium cordis motus semper acceleratur. Cavendum tamen ne, illud tempus versus, quo insurgunt paroxyfmi, absumptorum onere laboret ventriculus; tunc enim pluribus corporis functionibus turbatis vel laesis, non potest sperari debita ingestorum assimilatio.

105. Nec solum vegetabilibus quam numerosis satisfacti, ut nihil relinquerent intentatum, etiam in mineralibus, inesse aliquid ferbi idoneum, medici arbitrantur. Nam calcem vivam, bituminosa, et mercurium adhibuerunt, et laudibus summis extulerunt.

106. ALKOHOL, et ejusmodi liquores, remedia omnia stimulantia, propter vim salutarem et egregiam quam praestant, quanto fieri potest, exsuperant. De usu eorum igitur valde considerandum est, ne quid temere faceremus, ne quid necessarium timeamus.

107. Quidam ex antiquis medicis Cleophantes, in hoc genere morborum, ante accessionem vinum dabat; et deinde consuetudo increbruit. Quamvis enim Aesclepiades pleraque Cleophantis praecepta secutus, hoc praeterivit, quia anceps esse duxit; nihilominus, uti CICERO de officio medicorum per id tempus florentium monuit,
qui

qui in gravioribus morbis periculofas curatio-
nes et ancipites adhibere cogebantur; ita sub-
venire feбри graviori, vino quantumlibet ancipi-
ti sapientis est, eoque magis si plus adipifcare,
vino adhibito, boni, quam neglecto, mali. In
febribus enim regionum calidiorum remittenti-
bus, ubi pulfus ferme delitefcit, cum vix circuit
fanguis, cum fpiritus vix trahi videtur, cum ae-
ger debilitate confectus jacet fupinus, cum fe-
bris vix a typho graviffimo diftinguitur, quid ex
ufu vini metuendum? Quid non fperandum
eft?

108. Inventi autem multi funt medici, qui
non modo in ejufmodi febribus, fed etiam in
illis diuturnis quartanis et tertianis, quae inco-
las Europae magis borealis vexant, vinum adhi-
beri arbitrati effent. Eo enim dolendum eft,
devenire medicorum labores, ut pertinacem illa-
rum februm indolem, et corticis impotentiam,
faepe experiantur. Laudatores igitur corticis
etiam ftrenuiffimi, una cum illa vinum adhibe-
re, frequenter coacti funt. Neque fane, quan-
tum intelligo, ulla mala ex ufū vini funt fecutu-
ra, nifi diathesis phlogiftica adfit. Testimonio
igitur WERLHOFFII et LINDII inductus, corticem
vino adjunctam, remediorum omnium ad pa-
roxyfmof

roxyfmos arcendos esse praestantissimam, opinor.

109. A vini et liquorum vinosorum usu, quem populus ad febres avertendas accommodavit, suspiciones medicorum oriuntur. Indoc-ti enim et rudes homines contra febres spiritu vini, etiam aqua parum temperato, sed imo ad stimulantia adjuncto, connituntur; quo certe paroxyfmi saepius fugantur; sed morbi plerum-que peiores sequuntur, nisi forte febris invete-ravit, vel aegri vires plurimum debellavit. Est enim vinum unum quoddam de summis et va-lidissimis remediis, quod quo major est vis, hoc est magis cautione jungendum, summaque pru-dentia; quarum virtutum expertibus, si vinum exhibendi veniam tradiderimus, non eos qui-dem medicos effecerimus, sed furentibus arma dederimus.

110. Vina tamen Gallica et omnia tenuiora nocent ventriculi et reliquarum partium corpo-ris viribus (89.); sic a potu validiori et tutiori segreganda sunt. Et revera, si effectus solum stimulantés, quos praestat vini spiritus, specta-remus, eum aqua temperatum longe ante li-quores alios in febribus posuerimus. Sed ne-que aliquid inassueti ventriculo, quam hujus-
medi

modi potus ingratus est; unde nauseam saepe et ventriculi imbecillitatem excitat. Quomobrem huic VINUM MERACIUS, Hispanicum, v. g. Lusitanicum, Hungaricum, vel Africanum, praepono. Quod, si opus fuerit, medenti aqua temporare licet.

111. Ut paucis verbis omnia de vino comprehendam; non ei solo sapientis est inniti; neque, diathesi phlogistica haud vetante, unquam praetermittere.

112. Nec abfuerunt medici, qui stimulantia per anum infundebant*. Nisi autem ventriculus per os assumi vetaret, gerendus minime est huic mos.

113. Quanto rem ipsam putaverim, quando sudatoria ad classem, qua cordis et vasorum motus fit frequentior, relegavi, non faciam ut decernerem. Multa enim eorum sunt, quae, corpori sano adhibita, frequentia cordis motum nequaquam augent. Semper tamen ante accessionem adhibita, sanguinis circuitum per vasa extrema impediri prohibent: Et multa apud ea plane stimulant, quare in hac classe melius collocanda judicavi.

†

H

114. A.

* Hoffmannus, Op. t. 2. p. 26. § 4.

114. A tempore HIPPOCRATIS usque in usu fuerunt sudatoria externaque internaque; et antequam cortex inventus fuerat, medici sudatoriis praecipue febres arcebant. Merito igitur attentionem sibi vindicant. Inter sudatoria externa, calor, FRIGUS, et exercitatio enumerantur.

115. Unumquodque caloris genus, ad sudorem movendum, in febribus usurpatum est; sed omnium fodus et balneum optime conveniunt. Multum tamen infirmant (123.).

116. Nihil dubitandum est, quin nonnunquam FRIGUS, quocunque modo id fuerit, non solum cordis vires auget, sed etiam motum accelerat, et exinde sudorem promovet. Quocirca remedium ad paroxysmos arcendos aptum et idoneum videtur. Et jaçant quidem nonnulli, se frequenter sudores, ope potus vel BALNEI FRIGIDI, hora ante morbi incursum summo cum fructu movisse. De hac re tamen satis experientiae adhuc deest; quare non plus impertiam temporis huic cogitationi.

117. Frictio, gestatio, equitatio, et deambulatio, si ita instituantur, ut corpus ante paroxysmi invasionem incalescat et sudet, operaque data ut in ipsam exercitationem tempus febris incurrat, paroxysmos nonnunquam sistunt.

Quam-

Quamvis autem opera exercitationis in febrium diuturnarum intermissionibus magna est, nihilominus statim ante paroxysmos adhibitam, multi recte praeteriverunt; anceps enim est. Nam, si paroxysmus gravior aegrum foris exercitatione utentem exciperet, vitae etiam periculum ille adiverit.

118. Sudatoria interna sunt diluentia, fales, stimulantia, et narcotica.

119. Si ingeratur aqua, natura, ut hydropem secuturum arcere possit, sudorem et urinam movet. Et profecto nullum fere est sudatorium, quod, nisi aqua simul corpus impleatur, efficaciter agat. Neque alii tribuenda est actio plurium decoctuum sudatoriorum, nisi aquae, qua cocti fuerint. Porro aqua nec frequentio-rem, nec vehementiorem cordis motum facit; unde in febribus recentibus tutissima; sed in his, etiam et diuturnis, parum efficax est.

120. A vulgo etiam et medicis multa salina, ad sudorem promovendum, adhibita fuerunt; acidum nempe vitrioli, et succus limonum, et acetosi; et alkali volatile, vegetabileque, ex absinthio vel carduo benedicto paratum; et demum fales neutri, scil. sal Sylvii febrifugus, SAL AMMONIACUS, et Riverii haustus. Remedia salina vi quadam involuta et occulta sudores agunt.

agunt. Certe tamen, cordis motu parum accelerato ortum esse sudorem, constat; secure igitur in febribus in inflammationem vergentibus adhibentur; minus autem apud quartanas diuturnas valent.

121. Quicquid in sanis corporibus cordis motum accelerat, id ipsum sudorem movet. Et hujusmodi multa in febrium curatione usurpata sunt; lignum scilicet santalum, radices sassaparillae, serpentariae, farsaparillae, chinae, bardanae, veronicae, dulcamari, et allii, folia melissae, et salviae; demumque piper. Stimulantia autem recte praetermittenda sunt; in febribus enim inflammatoriis intuta, et in gravioribus futilia, sunt. Plura eorum quidem ita aqua fuerant temperata, ut nullos effectus ederent, nisi forte aquae saporem celarent. Sed vinum omnium hanc operam optime praestat, et, durante sudore, aegrorum vires egregie suffulcit; quibus de causis, si unquam stimulantium sudanti opus sit, vinum cuilibet praefendum judico.

122. Ex sudatoriis primum locum obtinent narcotica, ab antiquis pariter ac recentibus ad hunc usum commendata. Pauca tamen sunt in usu adhibita, hyoscyamus nempe et chelidonium majus; ita enim ad sudandum increbruit usus opii, ut in omni aevo theriaca apud medicos fui

fuit sudatorium primarium. Nec ulla re facilius vel efficacius movetur sudor, quam opio, neque ullo modo cordis motum accelerat; certe enim sanis corporibus adhibitum, pulsum articularum tardat; et si unquam in morbo pulsum accelerat, id morbi naturae tribuendum, non remedii indoli, est. Quas ob causas omnium sudatoriorum internorum tutissimum, et praestantissimum, in qualibet febre, opium arbitramur.

123. His de singulis sudatoriis praemissis, tradenda sunt eorum officia universa. Hanc sudatoriorum rationem profuisse pluribus ultro fatemur; sed saepius aut non successisse, aut nocuisse, scriptorum de re medica plures notaverunt. Ancipita ergo sunt. Et quicquid laudis multi sudatoriis tribuant, exemplisque confirmare satagant, testimonia debilitandi tot tantaque dederunt, ut dicam; valeant ad paroxysmos cohibendos saepissime sudatoria interna; tamen, quoniam vires convellunt, ex eoque ad recidivam aegros procliviores faciunt, postponenda sunt aliis magis tutis, quorum ad hominum usus tantam ubertatem natura largita est.

124. Emeticorum statim ante accessiones adhibitorum opus, ad motum cordis acceleratum, retuli.

retuli. Licet enim, durante vomitione, arteriæ motu tenui, debili, et tremulo, digitum feriant; nihilominus illa peracta, dumque vomitorium in ventriculo nauseam faciens adhuc haeret, sanguis corpus motu, praesertim per vasa extrema, liberiore circumit, pulsusque arteriarum molles fiunt et pleni. Isthæc cum ita sint, putant quidam hanc emeticorum dandi rationem, recte omnino introductam, nec de ejus vi ad febris arcendas quidquam dubitandum fuisse *. Atque illud fane verum est, quod virorum tot illustrium experientia dicitur; neque a veritate divelli vituperatoribus unquam potest.

125. Prius de effectibus egregiis quos in febribus praestat vomitio (61. *seq.*), nunc autem de vomitoriis, quatenus cordis motum accelerando agant, dicendum est. Non enim vomendo, sed cordis motum accelerando, vomitoria, statim ante paroxysmos adhibita, illos coercent.

* Hippocrates lib. de affect. pag. apud Foes 520. Celsus de re med. l. 3. c. 9. Plateri prax. p. 128. et 147. Riverius l. c. p. 340. Sylvius de le Boe op. l. 1. p. 252. § 187. Sydenham op. p. 86. Morton op. t. 2. ex. 1. c. 6. p. 62. Morgan mech. practice, p. 179. Stedman medical essays, t. 4. art. 5. Senac de febr. l. 3. c. 10. Lind, Bengal Fever, p. 60. Gianella apud Halleri disp. med. pract. t. 5. p. 91. seq.

cent. Nec aliquid ex eorum usu in qualibet febre metuendum est. Neque enim vires convellunt, neque multum intendunt, sed intermissiones plenas potius gignunt. Quae cum ita sint, an febres arcendae vomitoriis, necne? Nequaquam ita eorum efficaciae credam, ut totam rem iis committerem. Auctoritati tamen concedendum est, ut si ad intestina purganda opus sit, id per emetica, statim ante accessionem usurpata, perficiatur; dandaque opera est, ut, sub ipso febris incurfu, nauseam faceret medicamentum; saepe enim febris sic discutitur.

126. Jampridem emetica nonnulla in febribus usurpata recensui (68.), ad quae nunc adjungere liceat sulphur *, aquam marinam †, et vitriolum album ‡. Sed ex omnibus vere maximam famam assequutum est ANTIMONIUM; quod ita efficax multi, magna auctoritate pollentes, invenerunt, ut vim febrifugam specificam illi contulerint. Hanc sane nequeo admirari rationem; sed aliae potius adhibendae sunt, quibus animus accedere potest. Et primo quidem, ex omnibus metallicis, et forte vegetabilibus, emeticum

* Lind, hoc climates, p. 399.

† Celsus, l. 3. c. 9.

‡ Waldschmidt, prax. p. 849.

ticum videtur expeditius ad nauseam faciendam. Certo certius itaque antehabendum est omnibus metallicis. Neque dubitandum est, quin metalla, ventriculum stimulando, vomitionem movent; at mihi scrupuli restant, an ejusmodi sit opus plurimum vegetabilium, praesertim ipecacuanhae. Multa enim narcotica, sine dubio, vomitionem movent, v. g. opium et nux vomica; neque tamen languentes excitant, sed movendi capacitatem obtundunt. Et narcoticis prope ipecacuanham accedere, qualitates sensibiles et affinitates botanicae ostendunt. Idem forte suadent effectus ejus in diarrhoeam.

127. Mos fuit apud medicos, antiquiores; praesertim, cathartica statim ante paroxysmum aegris desumenda propinare; cum credebant ea non solum prodesse quatenus evacuunt, verum etiam quod totum corpus saepe stimulo movent et turbent; quamobrem cathartica validiora, ex regno vegetabili praecipue desumpta, exhibuerunt, qualia sunt agaricus, Senna, Euphorbium, Euphorbium segetalis L. et jallappa. Chemicis quoque placuit mercurium dulcem et ANTIMONIUM, eadem ratione danda. Diuque inter antimonii praeparata hac fine inclaruit pulvis Cornachini, et nuper PULVIS JACOBI.

Priora periculi, usufque ancipitis damnare haud vereor, quoniam medici optimi idem fecerunt. Felix enim ille erit medicus, monente Waldschmidtio, qui aliquot ante paroxysmum horas, catharsin etiam mediocrem, citra turbas vegetabilibus stimulantibus, excitare poterit. Tutior tamen ad alvum solvendam antimonii usus censetur. Illa quidem corpus multum infirmant, ad interiora sanguinem depellunt, et febres antea mites saepe duplicant (22.); hoc autem alvum leniter tantum ducit, sudorem ciet, vasa sanguifera lente stimulat, saepeque febres fugat*. Illa igitur semper fugienda; hoc vero, si aliquid vomere vetaret, summo cum fructu usurpandum arbitror.

128. Magna inest potentia animo, pro diversis impressionibus, proxime et directe motus vitales affiendi; haud mirum est ergo, si multum in morbos tum inducendos tum sanandos ejus regimen valeat. Ad febrem autem tollendam animi motus validiores postulantur; exempla tamen haud defunt, ubi ex horrore, aversatione, vel metu ante paroxysmum excitatis, febris abiverit.

†

I

verit.

* Riverius l. c. p. 338. Lind, hot climates p. 277. Lauter Hist. med. bienn. p. 14.

verit. Febrium paroxyfmi horrendis aliquando et fuperftitiofis remediis arcentur; nec ullo modo haec agunt, nifi quatenus animi motus vehementiores excitent. Minime tamen curanti conceditur, fraeno tuto horum actionem regere: Ea enim applicaturus nescit effectus confecuturos, an ullos, an rei aequales, vel etiam an lethales, futuros. Qua de re fapientiores talia remedia ad circumforaneos vanos et mulierculas inanes reliquerunt. Hi quidem hujusmodi remediis faepiffime utuntur: aegrum inanu mortui e cruce excifa repente tetigerunt; axungia humana febricitantes confricarunt; multis precibus et diris verbis febres incantaverunt; diraque et horrenda defumi exhibuerunt; e cranio humano aquam potare juffi funt aegri; aranae, bufones, urinaque defumuntur; imo itaque natura eorum indurata eft, ut fanguinem de primis virginum catameniis devorandum juffiffe, haud inhorruerint. Haec quin aliquando fuccefferint haud negari potest; fuit enim inter medicos celeberrimos Robertus Whytt, qui, non fine fructu, aegros in nofocomio Edinenfi febricitantes araneas deglutire fuadebat. Quandoquidem vero voluntati medici minime fubfer-

viunt

viunt hi animi affectus, recte eos prudentes praeteribunt.

129. Animi affectus certe nonnullae cordis motum accelerant, et exinde omnes ad hanc classem relegavi. Aversatio autem, et alia nullam hujusmodi vim possident, et eorum operandi modus multis nebulis obscuratur. Postea docendum est, ut quicquid stimulis efficiendam potestatem minuit, id paroxysmis occurrere possit (95.); et forsitan vi simili agunt aversatio, &c. durante enim affectus alicujus opera, animus haud ita facile impressionibus generis, ab affectu quo occupatur, diversi movetur, et statum animi individue corporis status sequitur. Effectus porro, quos habent adversus morbos spasmodicos, plane a mobilitate pendentes, huic opinioni forte gravitatem conferunt.

130. Deinceps, ut erat propositum, de remediis, quae paroxysmis occurrunt augendo vim contractionis, dicatur; et legentium plerisque haud dubito, quin priora minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova, quibus quidem nihil est febrium curationi accommodatius. Sunt vel mineralia vel vegetabilia.

131. Et primo de remediis mineralibus, quae sunt vel salina vel metallica. Salina iterum
sunt

sunt vel terrena vel neutra. Inter sales terrenos versantur alumen et Kirgeri febrifugum.

132. Prius videtur vires plantarum astringentium et amararum omnes tenere; et saepissime ad cohibendos paroxysmos valet. Gracius tamen et efficacius fit quavis aromatica addita, et fere semper ita adhibitum est. Pauci tamen inveniuntur, quorum ventriculi remedia hujus debitam quantitatem ferunt; quo effectus suos plerumque ostendere nequit. Febrifugum Kirgeri est terra calcaria ad acidum tartari adjuncta, de quo nihil intelligo.

133. Tametsi sales neutri ad sudorem movendum saepe usurpata fuerunt (120.), et quamvis forsitan status similis sudori a salium usu semper incidit, hoc plerumque in animo medici nequaquam habebant. Quibuscunque modis sit, hoc certe constat, hujusmodi salium quantitatem mediocrem, statim post ingestam, caloris sensum per corporis superficiem excitare; quod merito sanguinis circuitui per vasa extrema libero tribuant. Sales igitur, in proclive est judicare, aptos esse ad febres debellandas. Sal febrifugum Sylvii, SAL AMMONIACUS, et sal polychrestus praecipue adhibiti sunt. Et licet curatio februm leniorum salibus perficiatur, tamen mihi quidem

quidem hercle non est verifimile, in his etiam aequae valere sales ac tonica; et in periculosis plane infidi sunt.

134. Tonica, quae ex metallis sumpserunt medici, sunt cuprum, ferrum, et arsenicum. Primum adeo expedite nauseam facit, ut, nisi quoad expectatur vomitio, minime in febribus conveniat. Secundum non nisi multo post effectus suos edit, quo haud valet, nisi in diuturnis, ubi relaxatio obtinet. Arsenicum, ob qualitates venenatas, quas habet, intutum judicamus, ab eoque penitus abstinendum strenue hortamur.

135. Ad sex classes ex sapore remedia tonica vegetabilia referuntur, scilicet, astringentia, astringentia aromatica, amara, amara aromatica, amara astringentia, demumque amara astringentia et aromatica.

136. Plantae astringentes, quae praecipue apud medicos usum obtinuerunt, sunt cornus, plantago, bistorta, tormentilla, quinquefolium, et QUERCUS. Est videre apud astringentia, eundem effectum in corpore mortuo, (in his locis saltem ad quos sint applicata), quem in vivum etiam edunt. Qui effectus nihil est, nisi contractio fibrarum perdurata. Et igitur, si vires fibrarum, quae etiam in corpore mortuo haerent,

haerent, attenuarentur, astringentia vasa sanguifera valide contrahi efficient; caeteroquin vero capacitatem vasorum minuendo, sanguinis circuitum impediunt, et etiam febrem aggravant. Unde, in febribus recentibus, ancipita sunt, et praecipue ad diuturnas, in quibus obtinet relaxatio, laudantur.

137. Si ad astringentia vis aromatica adjicitur, ob conatum quem contra contractionem dat, remedia ad accessiones occurrentes accommodatiora adipiscamur. Natura autem hujusmodi concessit pauca tantum, scil. cinamomus, et GEUM; nec haec etiam vitiorum sunt expertia; in eodem enim vitiorum genere fere, in quo astringentia offendunt, haec reprehenduntur.

138. Herbae amarae, omnibus faltem consentientibus, vires fibrarum contractioni suppeditant, nec tamen constringunt, neque in sanis arteriarum pulsum accelerant; videntur igitur ad accessiones arcendas bene aptata. Hujusmodi sunt urtica, gentiana, faba Sancti Ignatii, QUASSIA, lignum collubrinum, carduus benedictus, et calcitrapa. Ne autem amara multum per seipsa valerent, statuit natura iis saporem valde ingratum, quo nauseam saepissime faciunt.

ciunt. Et porro alvum plerumque solvunt; et de hoc magis debilitant, quam roborant.

139. Nihil fane ventriculo ex amaris naufesanti est gratius, quam vi aromatica aliquod praeditum. Tribuit ergo alma natura vegetabilia nonnulla, quae vi simul et amara et aromatica fruuntur, scil. cortices capparum, tamarisci, et aurantiorum, lignum fantalum rubrum, et absynthium, et matricaria. Hujusmodi autem plantae ad alvum solvendam procliviores, quam etiam amara ipsa sunt; quam ob causam sequentibus postponentur.

140. Ut alvum solutam evitare possit, natura ad amara adjecit astringentia, quod videre est in centauro minore, ruta, in foliis aquifolii, et in corticibus visci Swietenii, vulgo mahogoni, FRAXINI, pruni sylvestris, hippocastaneae, SALICIS ALBAE, nec non et FRAGILIS. Fertur haec omnia non sine summo fructu adhibita esse; nauseosa tamen sunt.

141. Cavent autem aromata, ne quam nauseam praedicta excitarent. Et vere de his tribus qualitatibus, nempe de aromate astringenti et amaricanti, fiunt remedia adversus febres longe praestantissima, scil. flores CHAMAEMELAE,

ARNICA MONTANA, calamus aromaticus, folia lauri, caskarilla, et CINCHONA.

142. Missis tamen medicorum laudibus, de aliis remediis tonicis, forsitan nimis, CORTICIS efficacia contra intermittentes in primis notanda est. Posteaquam vero TORTUS, MORTONUS, WERLHOFFIUS, aliique magni nominis, corticis efficaciam omnibus hucusque cognitis remediis multum superiorem, sed et summam ejus innocentiam, evidenter demonstraverunt; de hoc quod sentiam, quid attinet dicere? Rem porro a fonte referre, ne nimis sero ad extrema veniamus, supervacaneum habeo.

143. Nullum remedium aequè est amarum atque cortex, quod tamen aequè gustui gratum sit, nec quod minus saepe alvum solvat, vel vomitum moveat. Non igitur mirandum est, si alia tonica viribus longe exsuperet. Disquisitio de operandi modo tempus frustra solum contereret; quo tempore enim HOFFMANNUS in medicinae scholis inclaruit, et quo tempore CULLENUS argumentum suscepit, medici plures, et omnes in hoc loco, saltem sapientes, nullatenus corticem esse remedium tonicum, vi istaque operam suam perficere, dubitaverunt.

144. Atque in primo loco, et id fedule cavendum est, ne cortex non in debita quantitate ingeratur. Nec minus corticis communis, et secundum morem assuetum adhibitae, satisfacit, quam in quotidiana drach. vi. in tertiana unc. i. et in quartana unc. $i\frac{1}{2}$. Et revera, si spes in angusto sunt, cortex eo usque adhibenda, dum a ventriculo recipi poterit.

145. Longe vero efficacior est in substantia, et in pulverem subtilissimam trita, quam in decocto, infuso, extracto, aut essentia; quae raro per se valent, sed ingrata sunt, et prodiga. Oportetque medicum corticem per os adhibere, quod ad exitum fere semper perducitur potest. Si nauseam vel vomitum moveret, apponendum est opium, vel aeger superbibat haustum calidum adhuc effervescentem. Si alvum solverit, una adhibenda sunt opium vel astringentia. Si velis corticem infantibus sorberi, glycyrrhizae extractum adjiciendo, illis plerumque persuadeas. Si autem non adducantur ut exhauriant, per anum summo cum fructu injiciendum multi arbitrantur. Fertur etiam ex cortice ad cutem applicata febres esse sanatas; quatenus hoc februm curationem reponere liceat, nescio;

†

K

post-

postponendum tamen, vel per os, vel per rectum, adhibendi modo plerique existimant.

146. Experti novimus medicos clarissimos, etiam corticis laudatores strenuissimos, monuisse, ne in febribus cortex ingeratur, donec morbus jam per aliquod tempus duraverit. Tum equidem, quoad periculum ejus urgeat, ad corticem, veluti ad sacram anchoram, confugiendam, strenue hortantur. Omnes febrium status, qui corticis usui obstant, jam observavi; et his praesto, mala ejus adhibitionem secutura, nullatenus dubito. Sed haec et his similia, utcumque corticis vituperatoribus animadversa, aut existimata erunt, haud in ullo equidem ponam discrimine; illis statibus (24.) enim absentibus, febres ab initio tute et commode cortice curatum iri, una cum illustrissimis medicis, quos enumerasse temporis nimium contereret, prorsus existimo. Unum solum his adjiciendum est, nempe, quod cortex, ob qualitatem suam astringentem, catameniis instantibus, intuta habetur. Et licet menstrualis fluxus usum corticis, si febris periculum minetur, non prohibeat, sed etiam postulet; attamen, sub regulari fluxu, in febre periculi experte, lubenter manum suspendimus, et pavori fexus, quem adeo formosum esse,

esse, vel propitii vel irati dii voluerunt, misericordia aequa concedimus; neque remedia quantumcunque generosa exhibemus, nisi gravis indicatio urgeat.

147. Vix attinet dicere, quod corticem in intermissionibus et remissionibus praecipue dare convenit. Posteriores quod spectat, jam a multis annis, MORTON, TORTI, WERLHOF, et aliis innotuit, quam sit tutum et necessarium, per corticem remittentium plurimum curationem moliri. Et porro compertissimum est, quod, si remissiones vix ullius momenti sint, jam tunc corticem postulari; et imo etiam, si febres summa debilitate stipantur, et continuae sunt, aegros, cortice omissa, in vitae discrimine versari; ex imbecillitate enim summum est periculum. At ne illud quidem, ab Hillary, LIND, PRINGLE, et D. MONRO dictum, ratione omnino caret. Ubi enim cordis actio aucta aegrum, durante paroxysmo, habet, tunc quidem cortex proficere nequit; sed paroxysmum longiorem faciet, et inde brevius a sequente excipiendum.

148. De modo corticem adhibendi, etiam in intermittentibus puris, sub iudice lis est. Tutissimum enim a plerisque censetur, finito paroxysmo,

xyfmo, incipere corticis ufum, et partitis vicibus illam fic exhibere, ut debita ejus quantitas affumi poffit, antequam fequens expectetur paroxyfmus. Datur tamen praeflantiae laus methodo, in qua ejus drach. v. feu iv. fimul ingerantur; id enim valet ad fequentem acceffionem inhibendam, quod major quantitas, partitis vicibus data, praeflare nequeat *. Hoc forte fatifaciet controverfiam adhuc fub lite decernere. Dum enim prima in Europam deferretur cortex, dabant fecundum praeepta fchedulae Romanae tantum, quantum opus fuerit, una vice ftatim ante acceffionem; et quidem confuetudo increbruit †. Alii autem plus valere corticem, ftatim poftquam febris difcefferit datam, exiftimant ‡. Utramque experientia in partem ad-

vocatur,

* Werholf, obf. de febr. p. 172.

† Fraffonius apud Torti, ther. fpec. p. 3. Lifter mantiff. ad exerc. de hydrophob. p. m. 55. feq.; Doloeus encycl. med. p. 185.; Bartholinus, hift. anat. cent. 5. hift. 50.; Schelhammerus de meth. cur. febr. p. 142.; Cullen, firft lines, ccxxxii. 4.; Saunders, red Peruvian bark, p. 57.

‡ Sydenham, epift. refponf. op. p. 302.; Torti ther. fpec. l. 3. c. 3. p. 161.; Hoffmannus, op. t. 2. p. 16. § 1.; Caretheufer, mat. med. t. 2. p. 541.; Cleg-

vocatur. A neutra parte stamus ; sed de tempore in quo cortex ingerenda est, dicam ut sentio. Non sanè interest quo tempore, sed quantum temporis, fuerit. Quo enim celerius cortex ingeratur, eo magis effectus validiores erint.

149. Celsus venerabilis quondam dixerat, quod, si febris quievit, diu meminisse ejus diei, convenit ; facile enim revertitur, nisi a sano quoque aliquando timetur. Et revera plane videtur, quod huic praecepto experientia tribuat. Et, licet in recidivis praecavendis, primum locum habeant victus vitaeque regimen ; nihilominus multum quoque adjuvat cortex rite adhibita. Ratio, quam plurimi sequuntur, est, febre fugata, quotidie drach. iii. vel iv. partitis vicibus convalescenti impertiri ; sed non solum ex ratiocinatione, sed ex usu, inanem operam navasse videntur. Nemo enim ignorat, quam saepe recidiva hoc nihil interdicente eveniunt. Et porro, si paroxysmum quodam die expectarem,

rem,

Cleghorn, Minorca, p. 188. ; Home, clin. exper. p. 1. ;
— Saunders, l. c. p. 58.

En quid agas ? duplice in diversum scinderis hamo,
Hunc sine, an hunc sequeris ?—alternus oberres.

rem, anne hujusmodi dosi avertendum credidisse licebit? Nequaquam. Nonne idem expectare sapientis est, si causae, febrem reducendi sufficientes, admotae fuerant? Nonne paroxysmus ita secuturus, corticem aequae ac ullus alius, exegerit? Omnino certe. Medici igitur praestantissimi, hac ~~ratione~~ ^{ratione} susque deque habita, ad certiores et minus prodigas se receperunt. Inter omnes autem corticem adhibendi ratio Culleni longe effulget. Ille quidem, aegro in integrum restituto, tempus accessionis primum omittit; sed corticis quantitatem, accessioni occurrendi sufficientem, ante accessionis secundae tempus, adhiberi jubet; proximo, accessiones duas praetermittit, at quinta corticem adhibendam monet; porro et iterum, tres accessiones praeterit, at ante octavam corticem iterat, &c.

150. Omnino sapiens et cautus medicus duas adhuc res de corticis usu cernit, quarum una in corticis conditione ponitur; cum persuasum sit, nihil corticem, nisi quam vegetam et sanam, aut optare aut expetere, oportere. At eheu! prae fordida avaritia, quam saepe capsulae medicamentariorum cortice effoeta, insipida, et putida, implentur. Altera res est, ut corticis speciem feligam maxime efficacem. Cl. Arrat primus
species

species diversas innotuit. Et quatuor, nempe, rubram, flavescens, involutam, et albidam, statuit. Ill. CONDAMINE ejusmodi distinctionem egit. Ab illis cortex albida fertur etiam specie botanica a caeteris discrepare, et ex siccatione effoeta futilisque fieri. Aliae autem non specie botanica, sed situ solo et curatione, discrepare, et merito forte, censentur. Cel. Arrat corticem involutam ob futilitatem relegat; et, licet quondam magna laude floreret, nunc tamen male auditur, et si sapore licet judicare, cum optimo jure. Ex Arrat narratione in proclive erit judicare, corticem rubram a flavescens non, nisi modo quo exsiccata fuerat, discrepare. Facturusne autem operae pretium sim, si species diversas omnino stabilierim, varietatesve omnes earumque rationes deprehenderim; nec fatis scio; nec, si sciam, dicere velim. Utcunque erit, juvabit tamen, inter eas efficacior, pro virili parte, et ipsum consuluisse.

151. Non a ratione videtur abesse opinio, quam nuper protulit Cl. Saunders, nempe quod cortice rubra solummodo usi erant antiquiores. Hincne autem illi concedere licet, corticem istam esse efficacior, quia antiquiores illam, summo cum fructu, parcius exhibebant? Non deest

deest faltem quod huic opinioni objici possit. Antiquiores enim corticem adhibebant variis modis (107. 108. 148.), quos hodierni rejiciunt; et his forsitan eventus secundi, qui tum secuti fuerunt corticis usum, tribuendi sunt. Saunders attamen sententiae testimonium multi ex medicis Anglicis perhibent, et porro celeberrimi Camper experientia sententiam corroboratam invenimus. Contra autem Arrat et Ill. Hahn corticem rubram saepe adhibitam viderunt, neque effectus ejus praestantiores invenerunt. Testimonium tamen numeri gravitate in parte Saunders praeponderat; igitur adhuc ad illam judicium inclinari oportet; quanquam aliquid rerum novitati concedendum est.

152. CINCHONA CARIBAEA LIN. curate ab inclyto Wright depingitur, magnisque laudibus, ut remedium praestantissimum contra febres Jamaicae remittentes, effertur. Imo etiam haec magis est dulcis quam Cinchona officinalis, et tamen aequae amara et alstringens; nec de testimonio tanti viri quodammodo dubito, quin in hac arbore inveniri possit febrifugum efficax et abundans.

Jam satis est; ne me Crispini serinia lippi

Compilasse putes, verbum non amplius addam.

F I N I S.